

Handwritten mark or signature in the upper left quadrant of the central paper area.

Vertical text or markings on the right edge of the central paper area, possibly a library stamp or inventory number.





PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXVI.

De

IVSTIFICATI
ONE HOMINIS CO
RAM DEO.

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Witteber-
gensî proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINÏ
Professore publico:

Respondente

M. JOHANNE BRAKERMANNÏ
Dantiscano-Borusslo.

Ad diem 14. Septemb. Anno 1611.

Horis locq; consuetis

Sumtibus Clementis Bergeri

Bibliopolæ Wittebergensis,

ANNO 1611.



VIRIS

*Reverendis, Clarissimis, Virtute, doctrinâ
& pietate præstantissimis,*

Dn. LVCÆE BAC-
MEISTERO, S. THEOL. D.
AC IN ACADEMIA ROSTOCHI-
ensi Professore, Circuliq; ejusdem Superinten-
denti vigilantissimo.


Dn. M. PAVLO PETREIO, S. Theol. in Acade-
miâ Rostochiensi Professore, Ecclesiâq; ejusdem
Archidiacono.

Dn. M. JOHANNI SLEKERO, Physices in In-
clutâ Rostochiensium Professore:
Dominis, Patronis, ac fautoribus honorandis,


*Sacrum hoc Exerctium Honoris,
Observantiæ, Amoris causâ
D. D. D.*

M. Johannes Brakermann,
Respondens,

Typus hujus Disputationis.



In loco de iustificatione explicatur





DISPUTATIO XXVI.

De
Justificatione Hominis coram Deo

CONTINUATIO.

Quomodo Omnipotens & Misericors
Deus noster per verbum & Sacramen-
ta omnes homines vocet, illisq; suam
gratiam, meritum Christi, & omnia eius be-
neficia offerat, vidimus in disputationibus
proximè præcedentibus: sequitur nunc altera
mediata Dei actio, quâ illa ipsa beneficia reve-
rè applicat, applicandoq; & imputando justi-
tiam Christi illos justos pronunciat: Quæ actio
Justificatio dicta est.

Theses.

1. **D**E Justificatione igitur hominis coram Deo acturi, videbi-
mus primùm vim vocabuli, deinde ipsam rem scrutabi-
mur.
2. Vocabulum quod attinet, considerandum est primùm
ejus

ejus primitivum: quod est *Iustitia*: deinde ipsum derivativum, hoc est, ipsam *Iustificationis* vocem.

3. Primitivum, hoc est, *Iustitia* vox aliter tribuitur Deo: aliter hominibus.

4. DEO quando tribuitur: vel accipitur primario, vel secundario. Primario vel significat essentielle Dei attributum, quo Deus justus essentialiter, vel ipsa justitia denominatur: vel peculiarem Christi Mediatoris *Iustitiam*.

5. Illa est *Iustitia*, quam Deus ab æterno habet, ad cuius normam omnia examinat, congruentia approbat, discrepantia contra damnat, execratur, justissimisq; pœnis affligit & perdit. Cujus etiam simulacrum quoddam est, hominum cordibus in creatione insculptum, & in Decalogo repetitum. In quam sententiam loquitur Apostolus *Rom. 1. v. 17. c. 2. v. 6. c. 3. v. 28. 2. Tim. 4. v. 8. Iacob. 1. v. 20.*

6. Hæc est *Iustitia*, quam Dominus noster Jesus Christus, ut mediator, homo & Deus in una persona, pro nobis legem implendo, tum solutione pœnarum, tum integram obedientiam comparavit. In significatione hac sumitur, *Actor. 3. v. 14. c. 7. v. 52. 1. Cor. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. 21. Phil. 3. v. 9. 1. Pet. 3. v. 18. 1. Ioh. 2. v. 1.* & alijs in locis plurimis.

7. Secundario accepta *Iustitia* significat illam Dei bonitatem, quam Deus *Iustitiam* illam mediatoris imputat credentibus, & ob quam peccata remittit, ac justos pronunciat peccatores, *Rom. 3. v. 21. item c. 10. v. 3.*

8. *Iustitia* & justus quando de hominibus dicitur, vel notant *Iustitiam personæ vel Causæ.*

9. *Iustitiam personæ* significat, quando sumitur pro universo omnium virtutum choro, & perfectam ejus, qui eam ornatur conformatione cum lege Dei.

10. *Iustitia* hæc subdividi potest in *Legalem & Evangelicam.*

II. *Legalis* est originalis illa *Iustitia*, hoc est, inhærens rectitudo, integritas & sanctimonia, omnibus numeris absoluta, qua homo antè lapsum fuit ornatus, & hodie Angeli boni.

Iustitia
vox aliter
Deo, aliter
hominibus
tribuitur. |
DEO.
Iustitia Dei
essentialis.

Iustitia
Christi
mediatoris.

Iustitia
imputata.

Iustitia de
hominibus
dicta.
Iustitia
personæ.

Iustitia le-
galis.

EVAN.

- Iustitia Evangelica.* 10. *Evangelica* est peccatorum remissio, & iustitiæ, per Christum partæ, ac per fidem apprehensæ, imputatio.
- Iustitia cause.* 13. *Iustitia cause* est, quando in personâ, peccatis iniquitâ, aliquis virtutis effectus ex singulari quadam causâ apparet.
- Iustitia in homine renato.* 14. Illa est in homine vel renato vel non renato.
15. In homine renato est ipsa nova obedientia, quæ à renatis sive justificatis fit per fidem secundum Legem, multis tamen adhuc laborat infirmitatibus. Atque hæc iustitia fidei coram hominibus declaratur. *Iac. 2. v. 21. Apoc. 22. v. 11.*
- Iustitia in homine non renato.* 16. In homine non renato, sunt virtutes Ethicæ, secundum quas etiam Ethnici dicuntur facere ea, quæ sunt Legis DEI. *Rom. 2. v. 14.*
17. De legali iustitia, item de iustitia causæ, (quæ etiam quodammodo legalis iustitia est, licet imperfecta multis modis) hic quæstio non est, sed tantum de Evangelica, quæ est iustitia imputata: non infusus aliquis habitus, ut sibi imaginantur Pontificij.
18. Quando enim putant Græcum *δικαιοσύνη* *Rom. 4. v. 5.* significare infusionem qualitatis sive habitus iustitiæ: palam ostendunt, se scopum Apostoli non intelligere: quippe qui prolixè ostendit, fidem imputari ad iustitiam: quod falsum esset juxta opinionem Pontificiorum, contrariumq; vel longè aliud dicendum, nempe non fidem sed infusum iustitiæ habitum imputari.
19. Et dicant nobis Jesuitæ, quâ ratione Deus justificet hominem per infusum iustitiæ habitum absque operibus Legis? Qualis igitur iste iustitiæ habitus, qui sine legis operibus? Ne sibi quidem imaginari poterunt ejusmodi iustitiam.
20. Taceo, quod *imputandi* vox planè ab hoc negotio aliena foret, si quæstio esset de habitu infuso. Quod enim infusum est, id inhæret subjecto: quod inhæret subjecto, non dici poterit propriè imputari.
21. Quomodo etiam habitualiter iusti peccata dicerentur regi, condonari, remitti, non imputari? Ubi enim peccatum non est, ibi neq; regi, neq; condonari, neq; remitti &c. potest: Atqui in hæ-

in habitualiter justo peccatum non inest: nisi forsan contrari-
as qualitates in eodem subjecto eodem respectu & tempore in-
esse non sine pessimo absurdo & contradictione concedere ve-
limus.

22. A justitia derivatur *iustificare*, & ab hoc *iustificatio*. Ubi Pon-
tificij vulgarem & etymocongruentem urgent significationem, *Iustificare:*
Iustificatio
ut iustificare idem sit, quod justum facere, hoc est, inhærente
qualitate justitiæ donare & imbuere.

23. Verùm illam significationem nullius Latini usu doce-
bunt, nedum usitatam probabunt.

24. Negari non potest voces has forenses esse. Ut igitur duplex *Voces illæ*
forenses.
est forum, internum sc. conscientiæ coram Deo; & externum,
in inculpatâ vitâ, coram hominibus: ita quoq; duplex est justi-
ficatio: una coram Deo, per justitiam fidei: altera coram ho-
minibus per justitiam operum.

25. Nullibi id significare potest, quod urgent Pontificij: sed us-
biq; *facere*, (quod in composito *iustificare* est) sumitur pro estima-
re & censere: ut ita compositum *iustificare* sit quidem justum pro-
nunciare & prædicare: interim tamen modus vel causa sive ra-
tio, quâ justus aliquis pronuncietur, illo verbo nō exprimetur.

26. Proinde constat, duos esse modos, ut justus aliquis statua-
tur: vel ex merito, vel ex gratiâ. *Duo modi*
quibus ali-

27. Illo modo ex justificati propriâ justitiâ justificatur justus
vel justificandi causa sumitur. Sed quilibet intelligit, quando
hoc modo vel Deus vel homines aliquem justificent, quod ju-
sticiam non infundant: Sed juxta inhærentem justiciam ju-
stum pronuncient. *quis pronū-*
cietur in-
justus.

28. Hoc modo sumitur causa justificandi ex justificantis
gratiâ: quæ vel iniusta, vel justa.

29. *Iniusta gratia* est, quando contra justitiæ regulam, & cūm
hujus violatione justus censetur & pronuncietur is, qui inju-
stus est. Tales justificationes in foro externo inter homines fre-
quentissimæ sunt, cūm ibi. *Gratia in-*
justa.

Pro vitio virtus nomina sepe ferat,
nocentesq; se fingant innocentes & prætoris improba gratia
fontem absolvat. In significatione hac *iustificationis* sive *iustifi-*
care vox sumitur, *Job. 9. v. 20. Prov. 19. v. 6.* *iusta*

Gratia iu-
sta.

30. *Iusta gratia* est solus Dei gratia, quæ gratuitâ miseri-
cordia (salvâ interim iustitiâ) peccatores recipit, & injustos ju-
stificat. Atque hæc illa est, de qua docet Evangelium, neq; simi-
lis alia in rerum natura extat inter homines: quia (ut diximus)
est solius Dei gratia.

Iustificatio
legalis.

31. Ex hæctenus explicatis liquet, quod iustificatio sit du-
plex: *Legalis & Evangelica.*

32. *Legalis* est, quâ iustus pronunciat, qui suâ iustitiâ est
præditus. De hac loquitur Apostolus Rom. 2. v. 13. ubi dicitur:
Factores legis iustificabuntur. Sic de Deo ipso usurpatur Rom. 3. v.
4. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quando iudicaris.* Ad Gal.
3. v. 21. *Nullum per legem iustificari manifestum est.* Cujus redditur
ratio Rom. 8. v. 3. *Quia lex infirmabatur per carnem.*

Iustificatio
Evangelica.

33. *Evangelica* est, quâ peccator, maledictioni legis in se ob-
noxius, propter imputatam Christi, atque ita per alienam, ju-
stitiâ absolvitur, & iustus reputatur. Ita sumitur iustificati-
onis vel iustificare vox Rom. 3. v. 26. cap. 4. v. 5. 8. v. 33. Gal. 3. v. 8.

34. Atque in hac significatione iustificatio in articulo &
disputatione hac accipi debet: Quando quidem solâ hoc modo
sumtâ iustificatione iustificantur peccatores, quicumq; verè ju-
stificantur.

Iustificati-
onis causse
1. Efficiens.

35. Hæctenus vocis distinctio; sequitur nunc ipsius rei ex-
plicatio, quam commodè per causas instituemus.

36. Causse iustificationis sunt vel externæ, nempe efficiens
& finis: vel internæ, scilicet materia & forma.

37. Inter externas causas, uti patet, primum locum tenet ef-
ficiens, quæ ut rectè explicetur, tenendum est, quod iustifica-
tionis vox in respectu ad illam duplici adhuc sumatur modo:
activè & passivè.

Activè
sumta.
Principa-
lis.

38. Iustificationis activè sumtæ causa efficiens vel est prin-
cipalis vel instrumentalis.

39. Causa principalis vel consideratur in genere, vel in spe-
cie, quatenus impulsiva dicitur.

20/10/17

40. *κρίσιον αἴτιον* five causa principalis in genere considerata justificationis est solus Deus, hoc est, tota & sola sacrosancta Trinitas, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

41. Hic solus Deus, *κρίσιον αἴτιον* dicitur, ne vel à superiore, vel ab inferiore regi putetur, sed huic unico in solidum acceptum feratur, quod agitur, dum justificatur homo.

42. De hac causa efficiente loquitur scriptura multis in locis. Exod. 34. v. 7. Tu Iehova Elohim, aufer iniquitatem, scelera atq; peccata. Eccl. 43. v. 25. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. & Esa. 45. v. 21. Ego Iehova, & non est ultra me Deus praeter me, Deus iustus & salvans, non est praeter me. Item v. 24. Tantum per Iehovam mihi dicet (nempe Ecclesia) iustitia & fortitudo. Item v. 25. In Iehova iustificabunt sese & laudabunt sese omne semen Israel. Et Jer. 17. v. 17. Sana me Iehova, & sanabor, & salvum me fac, & salvus ero. Quae axiomata Theologica, tanquam verissima, scribae Judaeorum quoque agnoverunt Marci 2. v. 7. Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? & Rom. 4. v. 5. sed credit in Deum, qui iustificat impium, id est, eum, qui in se impius est, in Christo censet justum. c. 8. v. 33. Deus est qui iustificat. Rom. 3. v. 26. Ut ipse (solus) sit iustus, & iustificet cum, qui ex fide est Iesu Christi. Hinc Prosper in lib. de ingratis, v. 393.

Ille obscuratis dat cordibus intellectum,

Ille ex iniustis iustos facit, indit amorem,

Quo redametur amans, & amor, quem censerit, ipse est.

43. Impulsiva causa est duplex: Interna & Externa.

Impulsiva.

44. Illa est revera *ωγενυσμένη* nempe sola Dei gratia. per quam tamen hoc loco non renovationem vel dona infusa, intelligimus: sed gratuitum Dei favorem, misericordiam & *Φιλανθρωπίαν*, qua ipse nos diligit, & gratis peccata remittit Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum. Rom. 3. v. 24. Iustificamur gratis per gratiam ipsius. Rom. 4. v. 16. Propterea ex fide est hereditas, ut sit per gratiam. Rom. 5. v. 8. Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. 11. v. 6. Si autem ex gratia; iam non ex operibus: alio qui gratia non esset gratia. Eph. 2. v. 4. Deus dives in misericordia per multam suam dilectionem

Interna.

B

lectionem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos
in Christo. Eph. 5. v. 8. Gratia servati estis per fidem: Et hoc non ex vobis,
Dei donum est.

Externa.

45. Externa, quam alij malunt vocare *σύνεργον*, est Chri-
stus Immanuel, qui merito & obedientiâ sua justificationem
nobis acquisivit. Rom. 5. v. 9. *Iustificati sumus sanguine ipsius*, 2. Cor.
5. v. 1. *Reconciliati sumus per ipsum Christum.*

46. Unde porro infertur tanquam *πρόσμηνα*, ut nulla bona
opera, sic neq; summam generis humani miseriam inter causas
efficientes vel impellentes justificationis numerari posse. Sunt
enim illæ tantum occasio: Miseriæ enim illius consideratione
tumultuantur viscera Jehovæ, ut miserando misereatur, *Ier. m.*
31. v. 20. & incensæ sunt viscerationes ejus *Os. 11. v. 8.* In quibus
locis Spiritus S. duobus significantissimis usus est vocabulis
Π intimo affectu viscerum prosecutus est: quod Lutherus
reddidit: *Mein Herz bricht mir gegen ihm / das ich mich
sein erbarmen muß.* 2. **Π** incaluerunt viscera: & *Luc. 1. v.*
78. διασπλάγχνα ἐλέος θεῶν ἡμῶν per viscera misericordie: **Durch
die Herzliche Barmherzigkeit Gottes.** Atque hinc dila-
cissima D. Bernhards Consolatio super cantica *Ier. 61. Ego sus-
denter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam
am misericordia affluunt, nec desunt foramina, per qua affluant.*

Instrumentalis causa

**justificati-
onis active
sunt.**

Primaria.

47. Instrumentalis causa justificationis active considerata,
est vel primaria, vel secundaria.

48. Primaria est Verbum & Sacramenta, quibus nobis exhibet
Deus & offert omnia beneficia spiritualia. *Luc. 24. v. 47. Sic
oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die, & predicari
in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum.* Rom. 1. v. 16.
Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Eph. 5. vers. 26.
Mundat Ecclesiam lavatio aqua in verbo, Ad Tit. 3. vers. 5. 1. Petr.
3. versic. 21.

Secundaria

49. Secundarij instrumenti nomine indigitamus Ministros
Ecclesiæ *1. Cor. 3. v. 5. Quis est Paulus, quis autem Apollo, nisi ministri,
per quos credidistis, & ut cuius Dominus dedit.* 2. Cor. 5. v. 18. *19. Omnia
autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis
ministros.*

ministerium reconciliationis. Quandoquidem Deus erat in Christo, man-
dum reconcilians sibi, non imputans illis peccata sua: & posuit in vobis
sermonem reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tan-
quam Deo vos obsecrante per nos.

50. Cæterum justificatio passivè sumitur hominis, qui ju-
stificatur, respectu: atque tum nullum ejus aliud reperitur ef-
ficiens, quàm instrumentale, quod Fidem appellamus, per quam
justificatur homo, non quidem quatenus ea Christum credit,
nam & hanc Dæmones habent, Jacob. 2. v. 9. neque quatenus eam
Christo credit, quam etiam hypocritæ habere possunt, Matth.
7. Sed quatenus eam in Christum credit, hoc est, Christum cum
omni suo merito & passionis beneficijs in verbo promissionis
oblatum recipit & sibi vendicat.

51. Fides hæc se habet, ut manus mendici. Quemadmodum
igitur ista elemosynam non efficit; sed accipit: Sic quoque fi-
des non operatur vel meretur justificationem; sed apprehen-
dit.

52. Non igitur justificat propter suam dignitatem, aut quia
est formata dilectione: sed quia se ab omnibus proprijs meri-
tis, ad unicum meritum Christi convertit, Rom. 5. v. 1. Justifi-
cati ergo ex fide pacem habemus ad Deum. Rom 4. v. 5. Et verò qui non
operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides eius
ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, Eph. 2. v. 8. Quod etiam
intellexit D. Bernhardus, quando scripsit: Fateor, non sum di-
gnus ego proprijs meritis regnum obtinere caelorum. Cæterum duplici iu-
re illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet patris, & merito passi-
onis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mi-
hi vendicans non confundor.

53. Sola igitur fides absq; operibus justificat: non verò ite-
rum per modum dispositionis aut causæ formalis, aut efficien-
tis physicæ: sed, ut diximus, per modum organi, quatenus the-
saurum illum, in Christo nobis exhibitum, apprehendit.

Justificatio
passivè
sumta.
Instrumen-
talis eius
causæ
Fides.

Fides est
manus.

Fides quo-
modo iustifi-
ficet.

Sol. fides 54. *Solam fidem dicimus iustificare.* At, inquis, id non dicere scripturam, cum in illa particula SOLA non reperiatur. Verum est, *αυτολεξει* non extat in scriptura: rem verò propterea inibi non haberi, falsissimum est: cum illa satis perspicue per synonymas formulas exprimat: *χωρις εργων νομου* Roman. 3. v. 28. Arbitramur igitur, fide iustificari hominem absq; operibus legis. Item c. 4. v. 6. *Deus imputat iustitiam absq; operibus.* Et ibid. v. 5. Syriacus textus dicit: *Ei verò, qui non operatur, sed TANTVM credit in eum, qui iustificat peccatores, imputatur fides ad iustitiam.* Nisi per fidem Gal. 2. v. 16. *Quoniam scimus, non iustificari hominem ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Ipsemet Christus ijs utitur Marc. 5. v. 36. *Noli timere, μόνον πισυε, tantummodo crede.* Item Luc. 8. v. 50. *μόνον πισυε, ηγί σωθήσεται: Crede tantum, & silva erit.* Gratia, & non ex operibus Rom. 11. v. 6. *Gratia estis servati per fidem* Eph. 2. v. 8. *non ex operibus, v. 9.*

55. Patres verò particulam hac sæpe quoque *αυτολεξει* utuntur. Irenæus in præf. lib. 3. fol. 168. Orig. fol. 217 lib. 3. in Epistol. ad Rom. fol. 157. Cyprianus in exposit. symboli Apost. cap. 39. fol. 576. Gregorius Nazianzenus in orat. *ωξι ευταξιας* fol. 155. Græc. Basil. Magnus hom. de humil. Hilarius in c. 8. Matth. fol. 270. Chrys. hom. 5. ad Eph. item hom. 3. in ep. ad Tit. Hieronym. in 4. ad Rom. Tom. 9. fol. 13. Ambros. serm. 45. & comment. in 3. & 4. ad Rom. Theophil. com. in 3. ad Gal. fol. 482. Ioh. Chrysostomus in Epistol. ad Gal. 3. fol. 1001. August. serm. 68. de temp. tom. 10. fol. 730. Claud. Marius victor in Hist. Abrah. lib. 3. Theodulus in Epistol. Pauli ad Rom. 4. fol. 1140. Bernhardus serm. 22. in Cantic. Cantic. fol. 624. Bonaventura in librum 4. Sententiar. dist. 15. q. 1. Glossa ordinaria in Epist. ad Rom. c. 3. fol. 10.

56. Unde manifestum est D. Martinum Lutherum scripturæ nihil quicquam addidisse, vel novi quid proposuisse, quando docuit & scripsit, *Hominem solâ fide iustificari.*

57. Videant igitur Pontificij, quando nostris Ecclesijs imputatur, quasi particulis illis exclusivis fenestras ad quævis flagitia aperiant; ne ipsum Christum, eius electum organum Divum Paulum, & omnes orthodoxos patres flagellent.

Statuimus

58. Statuimus nos, omni acceptione dignas esse hasce particulas exclusivas. I. Propter *δοξαλογίαν*: honorem soli Christo debitum validissime adstruunt. *Ipse enim solus est, qui torcular calcavit*, Esa. 64. v. 3. Apoc. 19. v. 13. II. Propter *πληροφορίαν*: Quia inde conscientiae in lucta firmam habent consolationem & dubitatio omnis vincitur, Rom. 4. v. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*. III. Propter *παρρησίαν*: Quia liberior inde est aditus & ardentiora vota in invocatione: ut dicitur Epist. ad Ephes. 3. v. 12. *In Christo Iesu habemus audaciam & accessum cum fiducia, quae est per fidem illius*. Sic Rom. 5. v. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur*. Heb. 5. v. 3. *Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum*.

Particulae
exclusivae.

59. Porro sola fides iustificare dicitur; ita tamen sola, ut gratiam & misericordiam, meritum & satisfactionem Christi, praedicationem Evangelij & usum Sacramentorum nullo modo excludat: Quandoquidem illa potius requiruntur & praesupponuntur in Fide, utpote sine quibus fides non est.

Fides quae
modo sola
iustificet.

60. Deinde sola fides iustificare dicitur, non quod sola sit aut esse possit sine operibus, in eo, qui iustificatur: Vera enim & iustificans fides nunquam sola est, nunquam otiosa: sed semper operatur per dilectionem Gal. 5. v. 6. Sed sola iustificare inde dicitur, quia sola apprehendit meritum Christi & agit cum Deo; quippe cui hac sola placemus. Hebr. 11. v. 6. & unica haec est ratio, atque unicus hic modus Iustificationis, ut nimirum credamus in Christum, & fide accipiamus remissionem peccatorum & vitam aeternam.

61. Ex quibus colligitur tale *περίσμημα* contra calumnias Pontificiorum: Ex nostra de iustificatione doctrinam non sequi, bona opera fidei opposita esse: cum sint maxime conjuncta & vera fides sine operibus esse non possit: Quod vero inde colligant adversarij, bona opera ingredi actum iustificationis, id nulla

Bona operationes
non sunt
opposita fidei.

ratione concedere possumus: Multa enim simul esse possunt: quæ non necesse est, ut statim simul operentur.

62. Deinde distinguendum est inter ea, quæ per se & propriè opponuntur; & inter ea, quæ per accidens κατ' ἀναλογίαν & certo respectu. Fidei propriè & per se opponitur ἀπιστία incredulitas: bonis operibus propriè ac per se ἀνομία: Per accidens verò & certo respectu, nempe respectu Justificationis, ipse Apostolus Paulus quandam facit bonorum operum & fidei oppositionem: Opponit enim fidei iustificari & bonis operibus iustificari: atque illud Christi merito; hoc hominis justitiâ niti affirmat. illoq; omnia opera legis excludit, hoc omnia includit.

63. Atque id, nempe à justificatione fidei Apostolum omnia excludere opera, illa nimirum, quæ fidem justificantem præcedunt, & quæ illam sequuntur, contra Pontificios luculentissimè demonstratur exemplo Abrahami, cujus operibus ex fide profectis, uti erant obsequium in deserenda patria, in immolando filio &c. Quibus gloriari poterat apud homines, vim vivificandi absolutè detrahit D. Paulus. Quod deinde attinet opera, quæ fidem in Abrahamo præcesserant, ea certè ignominia, non gloriationis materiam præbebant: Quandoquidem ante vocationem suam & fidem Deos alienos colebat, Ios. 24. 7. 2. Unde facilè refutantur & corruunt ea, quæ Bellarminus objicit de Justif. l. 1. c. 19.

64. Ad id verò quòd affirmat Jesuita, illud, quòd redditur operibus ex gratia factis partim mercedem esse, partim gratiam; iterum Apostolo contradicit, qui ut legem fidei & legem operum; Sic quoq; gratiam & mercedem sive debitum tanquam ἀσὺς ἀτα opponit ἐναντίας Rom. 11. v. 6.

65. Eodem modo διαρρήδην contra Apostolum est, quòd impudenter affirmare audeat, Abrahamum habuisse gloriâ etiam apud Deum. Quandoquidem hæc ipsissima Judæorum opinio est, quæ ex professo refellit Paulus, & satis clara ac perspicua ejus sunt verba, quæ nunquam negabit vel refutabit impudens hypocrita Rom. 4. v. 2. Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quòd gloriatur, at non apud Deum. Arrige aures Jesuita, nihil habet Abraham, quòd gloriatur apud Deum. Sed pergit Apostolus v. 3. Ei verò, qui ope-

atur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.
Porro ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur
fides sua ad iustitiam. Hæc qui negat, ipsū solē in meridie negabit.
66. Quod porro S. Scriptura interdum virtutem vivificandi
attribuat spei, dilectioni, timori, pœnitentiæ & Sacramentis, si
homonymiæ removeantur, commode omnia distinguantur,
nostræ sententiæ nihil derogabit.

67. Primum enim constat, spem & fiduciam; item sperare &
fidere non rarò in sacris promiscuè usurpari. Dilectioni deinde
quando justificandi vis tribuitur, ut Gal. 5. v. 6. & Joh. 3. v. 54. habet
phrasim manifestam consequentis metonymiam: quandoquidē
dilectio justificationem neq; tempore neq; natura procedit, &
non nisi è fide promanat. Argumentum Christi Luc. 7. v. 47. non
procedit à causa ad effectum: sed ab effectu ad causam. Ex illo n.
mulieris facto, tanquam effectu immediato, probat Christus
causam internam & proximam, nempe gratiam, quam sentie-
bat se adeptam esse. Tertio timor duplici modo accipitur: 1. Pro
antecedente fidei, quæ justificatione prior, sed naturâ non tem-
pore. 2. Pro ipsa fide, imò toto Dei cultu. 3. Pro fidei confecta-
tio, declarante studium vitandi peccata, quod est in verè justifi-
catis. Quando igitur timor justificare dicitur aut sumitur secun-
do modo *συνεδοχικῶς*: vel tertio *μετονομαστικῶς*, ut ex effectu
intelligatur causa, Tandem pœnitentia sive resipiscentia, quia
ἡμετεροῦ fidel est, illi interdum tribuitur id, quod isti est pro-
prium. adde, quod etiam fides veræ pœnitentiæ pars sit: & toti
tribui possit per synecdochen, quod partis est.

68. Conclusum itaq; esto justificationis actum ingredi solam
fidem, tanquam manum & instrumentum, quo universa Chri-
sti beneficia nobis applicamus.

69. Hanc ita definimus: Fides justificans est notitia verbi
divini, assensio & certa cordis fiducia, quâ Christum redempto-
rem nostrum in verbo Evangelij rectè agnoscimus, ipsiq; con-
fidimus: nimirum quòd propter solam ipsius obedientiam, ex
gratiâ, remissionem peccatorum habeamus, sancti ac justī co-
ram Deo patre reputemur, & æternam salutem consequamur.

Genuj

Fides in-
stificans
quid sit.



Explicatio 70. Genus hujus definitionis est *notitia, assensus & fiducia*. Qui
definitio- actus distinctè & considerari & esse possunt, cum aliud nosse
vis fidei. queas, cui tamen non assentiaris, credasque idem verum, nec
tamen fiducia tuum facias.

Fides im-
plicita nul-
la fides.

71. Notitia igitur sine assensu esse potest, & assensus sine fi-
ducia: non verò contrà. Postquam enim fiducia existit, non est
sine notitia & assensu: præsertim cum fides illa sit alligata ad
verbum, citra quod hic vana concipitur opinio.

72. Gravissimè igitur hallucinantur Pontificij, multum
disputantes de *fide implicita*, quando nimirum aliquis, quod cre-
dendum est ignorat, & nihilominus sibi imaginatur, se crede-
re: verbi gratiâ, si quis ignoret, quæ Romanæ Ecclesiæ fides
sit, dicat autem se credere, quod ipsa credit, tum eum Pontifi-
cij sua quadam liberalitate donant fide implicita.

73. Verum quæ hæc est amentia, & qui fieri potest, ut cre-
das id, quod ignores, cum fidei sit assentiri cognitis, eorum ve-
rò, quæ nescias, nulla sit cupido, nullus assensus?

74. Firmiter ergo tenendum contra Pontificios, ad fidem
salvificam necessariò requiri, & notitiam & assensum, illaque
semper in vera illa fiducia contineri & præsupponi: Quando-
quidem ex decreto & historia redemptionis & promissionibus
gratiæ universalibus fiducia illa in Christum exponitur.

Fides sal-
vifica 1. est
notitia.

75. *Fidem salvificam notitiam* esse probatur. 1. Quia fides ex
auditu. Ergo per doctrinam à Deo donatur; quæ sine scientia
& notitia non concipitur. 2. Quia fides hæc in scripturis noti-
tia atque assensus vocari consuevit. Es. 53. v. 11. *In scientia sua iu-*
stificabit ipse iustus servus meus multos. Luc. 1. v. 77. *Ad dandam scienti-*
am salutis plebi eius in remissionem peccatorum, Joh. 17. v. 3. *Atque hæc*
est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Je-
sum Christum.

2. Est as-
sensus.

76. *Fidem assensum* esse hisce & similibus dictis est manife-
stum. 2. Cor. 9. v. 13. *Qui per probationem ministerij huius glorificant*
Deum super obedientia consensus vestri in Evangelium Christi. Matth.
15. v. 28. *ô Mulier, magna est fides tua fiat tibi,* SICVT VIS. Phil. 2.
v. 13. *Deus est, qui efficit in vobis, ut VELITIS.* Sic dicitur assensus &
πληρο-



πληροφωρία Rom 4. Abraham factus est robustus fide & plane persuasum habens Deum, quod promiserat, posse etiam facere Rom. 10. vers. 9. Si ergo confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

77. Cœterum fiducia plus est, quàm nosse & assentiri, quia credens apprehendit & applicat sibi promissionem: de qua loquitur Apostolus 2. Corinth. 3. v. 4. *Fiduciam huiusmodi habemus ad Deum per Christum. Item Jerem. 17. v. 7. Beatus vir, qui confidit in Domino, & Iehova est fiducia eius.*

3. *Fiducia.*

78. Ut igitur fiducia hæc esse non potest, sine notitia & assensu: ita contra notitia & assensus sine fiducia non constituunt salvificam fidem. Ratio est manifesta: Nam notitia historica & generalis assensus etiam in hypocritas & homines plane Epicureos: imò in ipsos Diabolos, qui tamen non salvantur, cadere possunt: ut id patet ex multis sacrae scripturae locis. *Matth. 7. v. 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabis in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo Dæmonia eiecimus &c. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Luc. 12. v. 47. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se preparavit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Jacob 2. v. 19. Tu credis, quoniam unus est Deus, bene facis, & Dæmones credunt & contremiscunt.*

79. Quod autem salvifica debeat esse certa fiducia in Christum, constat hisce rationibus. I. Quia scriptura eam nominat *πληροφωρία*, hoc est, certam animi nostri de salute persuasivam Rom. 4. v. 21 Coloss. 2. v. 2. Hebr. 6. v. 11. II. Quia eandem vocat *πεποιθησεν*, plenam fiduciam, Rom 8. v. 38. 2. Corinth. 3. v. 4. Eph 3. v. 12. III. Quia eandem dicit *παρρησία*, quæ sine omni metu & trepidatione confidet gratiæ ac misericordiæ divinæ. Eph. 3. v. 12. Hebr. 3. v. 6. I. Iob. 2. v. 28. IV. Quia eandem appellat *ὑπόστασις* & *ἑλεγχον*, immotam basin ac fundamentum, quo in consci-

*Salvifica
fides esse
debet certa
fiducia*

C

entia

entia sua credens de certitudine convincitur earum rerum,
quas credit. *Heb. 11. v. 1.*

*Fides sal-
vifica non
debet esse
dubia.*

80. Unde sequentia colliguntur *πρόσματα* I. Quod fiducia hac sive fides salvifica non debeat esse dubia. Rationes sunt: I. Quia non dubitatio, sed fides justificat, nec qui dubitat, sed qui credit; habet vitam æternam. *Rom. 4. v. 16. 8. v. 38. 1. Ioh. 3. v. 14.* II. Quia fides in cordibus piorum ob signatur Spiritu Sancto *Eph. 1. v. 13. 6. 4. v. 30. 2. Cor. 1. v. 31.* III. Quia dubitatio manifestis scripturæ verbis reprehenditur, & Deum mendacij coarguit. *Matth. 14. v. 31. Rom. 4. v. 20. 1. Ioh. 5. v. 10. Heb. 10. v. 23.*

*Pontificio-
rum dubi-
tatio.*

81. Ex porismate hoc intelligitur, quid sentiendum sit de Pontificiorum dubitatione, quã docent, nos, nunquam de salute nostra certos esse posse, aut debere. Si enim fides certa est: dubitandum de salute non est.

*Argumen-
ta Pontifi-
ciorum.*

82. Probare nihilomius dubitationem suam conantur. I. Authoritate Apostoli Pauli, qui *1. Cor. 10. v. 12.* inquit: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Item Philip. *2. v. 12.* *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* II. Dicto Ecclesiast. *9. v. 1.* *Nescit homo, utrum amor, an odio dignus sit.* III. Ratione: quia negari non potest varias & magnas fidelium esse tentationes, in quibus manifestò fluctuat. Ubi autem tentationes ejusmodi sunt, ibi non potest esse certa fiducia: sed mera dubitatio est.

*Refutatio-
nes primi.*

83. Ad dicta ex Epistolis Paulinis adducta respondemus, illis nullo modo papisticam dubitationem probari. Sunt enim gravissimæ adhortationes, ne ullâ ratione in carnalem prolabamur securitatem, quã vera fides labefactatur & tandem planè extinguitur. Nisi enim in bonitate permanserimus (per fidem) unã cum Judæis excindemur. *Rom. 11. v. 22.* Et Deus nos reconciliavit: Si tamen permaneamus in fide fundari & stabiles, & immobiles à spe Evangelij, *Coloss. 1. v. 22.*

Secundi.

84. Ad secundum Argumentum dicimus cum Hæsenrefero: Ecclesiasten ibi agere de eventibus rerum, eosq; in hac vita, bonis & malis prorsus similes evenire, acerbè conqueri: dicit enim: hisce, quemadmodum reliquis omnibus evenire, eventum eundem esse justo & improbo, bono seu mundo &
immo;

immundo &c. Et hoc esse malum in omnibus, quæ fiant sub sole, quod idem sit eventus omnibus. Minimè verò sequitur: Ex eventibus rerum externis nulla differentia inter bonos & malos apparet: Ergo ex nullis usquam gratiæ promissionibus, quicquam de fidei & salutis nostræ certitudine nobis constare potest.

85. In ultimo argumento distinguendum est inter infirmitatem humanam, quæ à carne est: & inter naturam proprietatemq; fidei, quæ à Spiritu Sancto est. Concedimus quidem, quod carnis nostræ pravitas fidem ejusq; certitudinem hostiliter infester, esse verò illam proprietatem fidei, ut volunt Pontificij, blasphemum est asseverare.

86. Alterum *πρόσωπα* est, quod *Fides cuiq; peculiaris esse debeat*. Si quidem justus quilibet sua vivet fide, omnia sibi Christi beneficia in individuo applicans. Gal. 2. v. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro ME*, 2. Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est MIHI corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.*

87. Cæterum ex differentijs generi additis intelligimus tria: 1. Objectum fidei salvificæ. 2. Causam efficientem & tandem finalem, sive finem.

88. Objectum fidei, attestante Formula concordiæ p. 684. est promissio Evangelij propria de gratuita peccatorum remissione, per & propter meritum Domini, firma fide apprehensum: vel ut rem brevibus includam. Objectum fidei justificantis est meritum Christi, in promissione Evangelij oblatum.

89. Inde tale colligimus *πρόσωπα*: *Fidem salvificam charitate non informari*. Quod ut rectè intelligatur tenendum, Pontificios distinguere inter *fidem formatam & informem*, intelligentes per fidem informem, nudum & historicum assensum, qui sine omni timore Dei etiam in impios & Epicureos cadere potest. Per formatam verò, eam, quæ piæ affectionis & charitatis accessione locupletatur.

90. Posteriolem hanc speciem nos negamus dari. Quandoquidem fides per charitatem non informatur, sed per eam operatur:

Tertij.

Fides cuiq; debet esse peculiaris.

Objectum fidei.

Fides non informatur charitate.

Fides informis.

Fides formata.

*Vera fidei
forma.* operatur; pertinetq; charitas non ad formam, sed fructum fi-
dei. Vera autem ejus forma in eo consistit, quod certa fiducia
Christum salvatorem apprehendat, quod sine novo cordis mo-
tu fieri nequit: Data itaque fide datur caritas: Verum non ut
caussa sive forma fidei, sed ut fructus, ut diximus, & infra, ubi
de bonis operibus agemus, pluribus docebimus.

*Causa effi-
ciens fidei
generis.* 91. Causa efficiens est vel generans, vel conservans: Gene-
rans est solus Deus. Nam licet fides ex auditu verbi Dei sit: non
tamen propterea hominum opus est, sed donum Dei plane gra-
tuitum. Joh. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me (Christum) nisi pa-
ter, qui misit me, traxerit eum.* 2. Thess. 3. v. 2. *Non omnium est fides.*
Phil. 1. v. 29. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in-
eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini.

*Cur non o-
mnes cre-
dant.* 92. Inquis: Si solus Deus est causa fidei: qui ergo fit, quod
non omnes homines, & quidem omnes audientes verbum cre-
dant? Hic non Deus sed homines in causa sunt.

93. Non Deus; quandoquidem is serio vult, ut omnes omni-
no homines ad agnitionem veritatis, veram poenitentiam & fi-
dem veniant. I. Timoth. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9.

94. Homines vero in causa esse patet. I. Quia non omnes
audiunt verbum: Ergo etiam non omnes credunt: cum fides
fit ex auditu. Deinde etiam qui audiunt, non sunt ejusdem ge-
neris & conditionis: Quidam enim Spiritui Sancto, qui ubiq;
efficax esse vult per verbum, ingrata malitia resistunt. Quidam
vero non, sed cum quadam attentione verbum Dei legunt, au-
diunt, scrutantur: In his igitur efficax est Jehova sua gratia &
Spiritu, in illis vero non. Inde tamen nemo sibi imaginetur al-
iquid causae fidei adhuc residere in homine. Minimè. Distin-
guendum enim est inter conditionem necessariam & deinde
inter veram causationem. Audire verbum, meditari quoque
illud adhuc est conditio externa, nullam vim operandi ad sa-
lutem vel fidem producendi habens. Nam licet diu quis audi-
ret verbum, meditaretur quoq; diligentissime; Si tamen Spiri-
tus Sanctus gratia non adesset, nunquam salvificam fidem suis
viribus in seipso excitaret: Si igitur homo converti debeat;
oportet

oportet ut ipse Deus accedat, & per Spiritum Sanctum corda
hominum convertat *Rom. 9. v. 16. 1. Cor. 3. v. 7.*

95. Causam conservantem quod spectat, consideranda primùm
e. ipsa: deinde cōditiones, quę in homine necessariò requiruntur.

96. Ut causa efficiens vel est principalis vel instrumentalis:
ita & conservans: Principalis est ipse Deus sive Spiritus S. Qui
enim donavit fidem, eandem etiam conservat & obsignat *Rom.*

8. v. 16. 2. Cor. 1. v. 21.

97. Causa instrumentalis est verbum Dei: Nam eodem me-
dio, quo Spiritus Sanctus genuit fidem, eandem etiam eo con-
servat & auget.

98. Conditiones, quę in homine necessariò requiruntur,
ut Spiritus Sanctus in ipso fidem conserveat & auget, potissi-
mum tres sunt. I. Ut utatur Sacramentis: Quando quidem hæc

propterea instituta sunt, ut fidem in nobis confirmet: Hinc
enim circumcisio dicitur signaculum justitię fidei. *Rom. 4. v. 11.*

Et baptismus bonę conscientię stipulatio. *1. Pet. 3. v. 21.* II. Ut
pijs precibus Deum sedulò invocemus, *Psal. 51. v. 12. Matth. 26. v.*

41. Marc. 9. v. 24. III. Ne peccatis contra conscientiam Spiritum
Sanctum & fidem amittamus, sed semper retineamus consci-
entiam. *Eph. 4. v. 30. 1. Timoth. 1. v. 18. Psal. 101. v. 2.*

99. Demonstratum est hætenus Deum & causam efficien-
tem & conservantem esse fidei; non immeritò igitur quæri vi-
detur, an illa, semel acquisita, amitti possit, cum Deus sit immu-
tabilis.

100. Omninò amitti potest: non quia Deus mutatur, nem-
pe qui fidem semel datam usq; ad finem conservare seriò cu-
pit: Sed quia nos mutamur: denegantes conditiones ad fidei

conservationem necessarias. Videamus & perpendamus se-
quentia loca: *Matth 10. v. 22. 6. 13. v. 20. c. 24. v. 13. Luc. 8. v. 13. Rom. 11.*

v. 20. 1. Cor 9. v. 27. Coloss. 1. v. 22. 1. Timoth. 1. v. 19. c. 9. v. 27.

101. Hætenus de causa efficiente justificationis, sequitur finis,
qui iterum aliud est respectu Dei, & aliud respectu hominum.

102. Respectu Dei justificationis finis est gloria Dei. Non so-
lùm enim dictum est nobis, omnia facite ad gloriam Dei, *1. Cor.*

*Causa fidei
conservans.
Principa-
lis.*

*Instrumen-
talis.*

*Conditio-
nes in ho-
mine.*

*An fides
possit amitti.*

*Finis fidei
respectu
Dei.*

10.v.17. Sed etiam omnia opera Dei eundem finem spectant, testante Salomone, Prov. 16.v.4. Omnia propter se fecit Iehova. Gloria autem hæc in sapientissima illa & admiranda Justitiæ & Misericordiæ *κράτος* sive temperamento elucet. Quod enim à Filio tanquam sponsore nostro exigit justitia, id nobis imputat misericordia.

Respectu
hominum.

103. Respectu nostri justificationis finis est vel Generalis, si-
ve remotus, vel specialis, sive proximus.

104. Generalis est bonitatis Dei prædicatio, 1. Pet. 2. vers. 9.
*Vt virtutes enumeremus eius, qui è tenebris nos vocavit in admirabile lue-
men suum.*

In hac vi-
ta.

105. Finis specialis & proximus est vel hujus vitæ vel futuræ,
106. Finis quidem in hac vita est pax & tranquillitas consci-
entia, quæ hoc scuto ignita Satanæ tela extinguit, legisque ex-
ecrationes rotundit. Huc pertinent dicta, Ef. 32. v. 17. *Fructus iu-
stitiæ erit pax; & cultus iustitiæ erit quies, & securitas usq; in sempiternu-
m.* Item Roman. 5. vers. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga
Deum.*

In altera
vita.

107. In altera verò vita subsequetur salus & beatitudo æ-
terna, juxta illud Tit. 3. v. 5. *Secundum misericordiam suam salvos
nos fecit &c. ut iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vi-
tæ æternæ.* Et Rom. 6. v. 22. *Liberati à peccato, habetis fructum vestrum
in sanctificationem; sinem verò, vitam æternam. Stipendium enim pec-
cati, est mors: Donum autem Dei est vita æterna, in Christo Iesu, Domi-
no nostro.*

108. De justificationis efficiente & fine dictum est hætenus:
nunc ejusdem Materia & forma paucis declaranda, & ab ad-
versariorum strophis ac fraudibus vindicanda restat.

109. Ut ratione causarum externarum partim activè par-
tim passivè sumpta est justificatio; ita eidem quoq; respectus hic
observari debent.

Materia
iustificati-
onis, activè
sumpta.

110. Materia itaq; justificationis, activè sumptæ, est ipsa caus-
sa meritoria, nempe tota Christi obedientia & meritum, quod
non solum in morte crucis, quamvis in ultimo hoc actu & sa-
tisfa-

risfactionis complemento id scriptura collocet *σωτηριωδους*:
sed etiam in omnibus illis, quæ jam inde à primordio incarna-

tionis, nostrâ causa sustinuit sponsor noster
111. Partes igitur meriti & obedientiæ hujus præcipuæ qua- *Partes me-
rni Christi*
tuor numerari possunt: Conceptio & nativitas, passio, resurre-
ctio & ascensio in cælos.

112. De incarnatione loquitur Paulus Rom. 8. v. 3. *Deus misit* 1. *Incar-
natio.*
filium suum in similitudine carnis peccatricis, & de peccato damnavit
peccatum IN CARNE, ut IUSTIFICATIO legis impleretur in no-
bis.

113. De passione & morte idem Apostolus loquitur ibidem 2. *Passio*
cap. 3. v. 24. *Iustificantur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, & mors.*
quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in
sanguinem ipsius ad offensionem Iustitiæ suæ &c. Ut ipse sit iustus & iusti-
ficeret eum, qui ex fide est Iesu Christi.

114. De resurrectione idem agit Rom. 4. v. 25. *Christus tradi-* 3. *Resurre-*
tus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram. *ctio.*
Item c. 5. vers. 18. *Sicut per unius delictum condemnatio venit in omnes*
homines: ita per unius iustitiam (propagatur bonum) in omnes homines
ad IUSTIFICATIONEM vitæ.

115. Ad Ascensionem imò ad universum Christi meritum 4. *Ascensio*
referri potest ex postulatio Pauli Rom. 8. vers. 33. *Quis accusabit*
electos Dei? Deus est qui iustificat; Quis est, qui condemnet? Christus
ipse est, qui mortuus, imò & resuratus fuit, qui etiam est ad dextram Dei
interpellens pro nobis.

116. Perperam igitur materia hæc statuitur in bonis ope- *Bona opera*
ribus, quæ ante justificationem sunt nulla, post justificatio- *nō sunt ma-*
nem imperfecta & peccatorum sordibus niquinata: 2. In fide, *teria iusti-*
quâ qualitas: quæ ut legis complementum non est: ita neq; *ficationis.*
ῥιππορω æternæ salutis pretium: 3. In essentiali iustitia divini- *Neg, fides,*
tatis Christi in homines distributa, & ad iusta faciendâ impel- *ut qualitas*
lente, ut dicebat Osiander: hoc enim est *ἡ δικαιοσύνη*, hoc est, *Neg, essen-*
Dei *tialis Dei*
iustitia.



Dei substantiæ per omnia diffusionem imaginari, & Deum
Neq; iusti- ipsum cum ipso in nobis effectis confundere. 4. In illa incho-
ta incho- ata justitia, quam suo Spiritu in regeneratis efficit. Hoc enim
ata. est justificationem cum sanctificatione & novâ obedientiâ cõ-
Sed sola fundere: Sed, uti diximus, in sola Christi obedientia, qua patri
Christi obe- usq; ad mortem obediens factus, & justitiam & salutem nobis
dientia. promeruit. 1. Cor. 1. v. 27.

Obedien- 117. Obedientia hæc est duplex: Activa & Passiva. Activa
tia Christi est perfecta legis divinæ præstatio, quam adeò plenè ac perfe-
duplex. ètè pro nobis exequutus est Christus, ut ad ultimum usq; ejus
Activa. apicem satisfecerit, Matth. 5. v. 17. Non veni solvere legem, sed im-
plere, Joh 8. v. 29. Ego, quæ placita sunt patri, facio semper, Philip. 2.
v. 8. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mor-
tem autem crucis.

Passiva. i 118. Passiva est Christi victima seu passio & mors, quâ ipse
integer & sanctus nostri causa legis maledictum & pœnas tulit,
Gal. 3 v. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis ma-
ledictum quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Hinc
dicimur habere redemptionem per sanguinem ipsius, hoc est, remissio-
nem peccatorum, Coloss. 1. v. 14. Item redempti non caducis rebus ar-
gento aut auro, sed pretioso sanguine utpote agni immaculati & incor-
tammati nempe Christi. 1. Pet. 1. v. 18. 19.

119. Utrique & activæ & passivæ obedientiæ salus nostra ven-
dicanda est. I. Quia quemadmodum actualis inobedientia A-
dami nos constituit peccatores: ita è contrario actualis Chri-
sti obedientia nos constituit justos, Rom. 5. v. 10. Nam si cum ini-
mici essemus, conciliati fuimus, Deo per mortem filij eius; multo magis re-
conciliati sectabimur per vitam ipsius. II. Quia non duntaxat expia-
tione peccati ad mortem tollendam nobis fuit opus; sed etiam
justitiæ dono ad vitam æternam obtinendam juxta præceptum
legis: Hoc fac & vives. Non igitur Christus tantum debuit esse
vtriusq; nostræ redemptionis, verum etiam finis & perfectio le-
gis ad salutem omni credenti Rom. 10. v. 4. III. Quia non tan-
tum Christus pro nobis est mortuus, verum etiam sese sancti-
ficavit pro nobis, ut simus & ipsi sanctificari per veritatem.
Joh. 17.

Joh. 17. v. 19. Hincq; dicitur nobis à Deo factus sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. v. 30. IV. Quia ipsa passiva justificatio non merè fuit passiva, sed simul activa: Quando quidem non tantum passus est: sed etiam sese ipsum, ut victimam, pro peccatis obtulit, & ita unicâ oblatione in æternum consecravit eos, qui sanctificantur, Heb. 10. v. 7. 14. V. Quia non pars Christi, hoc est, tantum patiens, sed totus, & patiens & agens Christus, nobis datus est, quia totus noster est: non tantum quatenus patiendo abstulit peccata & mortem: Sed quatenus etiam agendo attulit justitiam. Non enim sibi sed nobis est natus ac datus Es. 9. v. 6. ut nimirum totum se nobis impendens, pro nobis agenda ageret, & patienda pateretur.

120. Nec derogat quicquam huic nostræ sententiæ, quod dicamur sanguine Christi justificari Rom. 5. vers. 9. & ab omni peccato purgari, Joh. 1. v. 7. In illis enim & similibus dictis *συνεχόμενοι χριστῶς ἡγιασμένοι ἐξ οὗ* pars præcipua pro toto accipitur: & activa obedientia semper includitur: Cum, uti demonstratum, etiam passiva sine activa non sit: Quomodo enim peccata nostra potuissent morte Christi expiari, si mors in certamine isto superior fuisset, & non Christus omnipotenti suâ virtute, quâ etiam à mortuis resurrexit, mortem superasset?

121. Justificationis passivè sumptæ materia, h. e. subjectum, sumus nos homines, primùm quidè non præparati, aut adferentes ulla merita, sed peccatores & impij Rom. 4. v. 5. deinde credentes, Rom. 3. v. 22.

122. Ubi perperam à Jesuitis sola proponitur hominis voluntas, in qua, tanquam subjecto proprio, beneficio justificationis commo- vetur justitia. Quasi verò sola voluntas sit corrupta; & non totus homo justificandus & instaurandus.

123. Tenendum etiam, quod quæstio illa, quâ quæritur de justificationis subjecto, duplici modo possit intelligi: vel de subjecto ipsius justitiæ, propter quam justificamur nos: vel de sententiæ illius, quâ Deus justos pronunciat, subjecto. Illo modo si sumatur & intelligatur quæstio, tum omninò respondendum est, quod ipse Christus & quidem solus sit subjectum *δεκτικόν*, seu materia in qua, suæ justitiæ, quæ in ipso hæret subjectivè, neq; subjectum illud suum unquam egreditur, atq; propterea dicemur fieri justitia *ἐν αὐτῷ* 2. Cor. 5. v. 21.

Justificati-
onis passive
sumptæ ma-
teria.

D

Et Apo.



Et Apostolus inquit, *se ἐν αὐτῷ ἵκνῃσθαι ἰστυρίαν* Philip. 3. v. 9. Hoc verò modo si quaestio accipiatur, quemadmodum etiam hoc loco accipi debet, nos credentes justificationis & sententiæ illius subiectum rectè dicimur. Hinc Paulus inquit. Rom. 4. v. 5. *Iustitia Dei patefacta est in & super omnes, qui credunt.*

Forma iustificationis activa.

124. Ceterum forma justificationis activè sumptæ est gemina: privativa, nempe remissio peccatorum, & positiva, nempe iustitiæ imputatio. Quandoquidem Deus non solum peccata nobis benigne aufert. 2. Sam. 12. v. 13. Verum etiam istorum loco perfectam iustitiam reponit: Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iustitiam.* Quibus & cætera addantur v. 5. 6. 7. & 23.

Remissio peccatorum & imputatio iustitiæ Christi, quo modo distinguantur, & quo modo sint idem.

125. Ubi tamen tenendum venit, Remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ non esse partes diversas aut distinctas τὸ εἶναι, sed duntaxat τὸ λόγῳ. Quandoquidem imputatio iustitiæ Christi, est ipsa remissio peccatorum, & remissio peccatorum est ipsa imputatio iustitiæ Christi, ut ita utraque vox seorsim sumpta totam justificationis naturam exprimere queat ut Rom. 1. v. 6. 7. Apostolus remittere peccata & imputare iustitiam, tanquam ἰσοδυναμῶντα sumit. 126. Distinctio igitur inter duas hæc loquendi formulas non respicit duas justificationis partes integrantes, sed tantum duos terminos, à quo & ad quem. Ut enim uno eodemq; tempore & actione tenebræ pelluntur ex aëre, & lumen in aerem introducitur, ideòque rectè dici potest, tenebrarum expulsionem ex aëre esse ipsius luminis in aërem introductionem: ita etiam unus idemq; homo impius uno eodemq; tempore & actu justificationis plane individuo, & à reatu absolvitur, & iustus pronunciat: ut ita non sint diversæ sententiæ, quando alius ex nostris justificationem in imputatione iustitiæ Christi, & alius in remissione peccatorum sitam esse docet: uti quidem sibi imaginatur Bellarminus.

Iustificationis passivæ forma.

127. Passive quando sumitur justificatio, forma eius nihil est aliud, quàm applicatio fidei: unde etiam fides nostra dicitur iustitia: quia sola hæc Christi iustitiam sibi applicat, ut in præcedentibus factis est demonstratum.

Iustificationis definitio.

128. Ex hæctenus explicatis talem justificationis definitionem contexitimus: Iustificatio est actio Dei, quæ hominem peccatorem quidem,

dem, sed in Christum credentem, ex merâ & gratuita suâ misericordiâ per & propter Christum, ejusq; meritum in verbo propositum, ac solâ fide apprehensum, à peccatis omnibus, eorumq; æternis supplicijs absolvit, & à peccatis remissis, perfectâq; Salvatoris justitiâ imputatâ, in gratiam suscipit, justum pronunciat, pace ac tranquillitate conscientiæ donat, & tandem hæredem vitæ æternæ acceptat.

- | | |
|--|----|
| 129. Errores contra articulum de justificatione pugnantibus sunt. I. <i>Errores.</i> | |
| Pharisæorum & Hypocritarum, qui externâ quâdam obedientiâ se coram Deo justos esse arbitrantur <i>Matth. 10. v. 20.</i> | 1. |
| 130. Deinde Simonis Magi, qui hominibus, per illius, quam docebat fidei assensum, justificationem pollicebatur. | 2. |
| 131. Tertius eorum, qui & Gentiles & Judæos ante Christi adventum vitâ functas nullâ in Christum fide, sed solâ lege vel rectâ ratione salutem consecutos esse existimaverunt. | 3. |
| 132. Quartus Catharorum, Pelagianorum, Anabaptistarum, qui justificationem in operibus suis collocant. | 4. |
| 133. Quintus Archonticorum & Antitactarum, qui delirant, nos ab operibus legis liberatos esse: atq; hunc esse fidei Christianæ fructum. | 5. |
| 134. Sextus Samosatensianorum, qui mortem Christi non ut vitæ ac salutis causam; sed tantum ut exemplum caritatis proponunt. | 6. |
| 135. Septimus Osiandri, qui statuit justitiâ Dei essentiali, hoc est, justitiâ, quæ est ipsa divina essentia, homines justos fieri. | 7. |
| 136. Octavus Pontificiorum, qui docent, 1. Duplicem esse justificationem; quarum prior sit in infuso charitatis habitu: posterior in operibus meritorijs. 2. Simile de duplici justificatione figmentum nobis attribuunt, quasi imputatio justitiæ & remissio peccatorum totidem justificationis sint species: cum ejus ne partes quidem diversas esse concedamus, sed tantum diversorum terminorum respectus. 3. fidem per modum dispositionis & meriti justificare. 4. illam in actu justificationis multas alias virtutes habere comites & collegas. 5. Etiam fidem ab operibus separatam esse virtutem, & vi justificandi per modum dispositionis & impetrationis esse præditum. 6. Fidem nihil aliud esse quam opus, esseq; causam efficientem propriè ita dictam, non verò <i>causam</i> relationem aut instrumentum, quo Christi meritum apprehenditur, esse etiam partem causæ formalis justificationis. | 8. |



ificationis, eam à spe & caritate non tantùm re ipsa separari posse; sed etiam cum gravissimis sceleribus & flagitijs actu secundo coherere posse. 7. Remissionem peccatorum non esse justitiam nostram. 8. Per eam non duntaxat reatum, sed ipsam quoq; *divulgar* aboleri. 9. Imputationem justitiæ inane figmentum esse. 10. Doctrinam gratiæ justificationis, doctrinam demoniorum esse.

9. *137. Novus eorum,* qui docent, solam Christi passivam obedientiam, nobis à Deo in justitiam imputari.
- Errores contra fidem.* *138. Errores in specie contra doctrinam de fide pugnantes sunt. 1.* Valentinianorum, Basilidianorum & Pelagianorum, qui fidem ex naturali hominis potentiâ eliciunt.
- 1.* *139. Deinde est Gnosticorum,* qui ad fidem nihil amplius, quàm nudam Evangelicæ historiæ notitiam requiri docebant.
- 2.*
- 3.* *140. Tertius Simonianorum, Carpocratianorum & Libertinorum,* qui bona opera cum fide coherere posse negabant.
- 4.* *141. Quartus Calvinianorum,* qui docent, quamvis Deus verbum omnibus proponat hominibus & per illud ad fidem suavissimè invitet, nolle tamen ipsum quàm plurimis vel fidem vel pœnitentiam largiri.
- 5.* *142. Quintus Pontificiorum,* qui 1. tollunt discrimen inter fidem justificantem & alias fidei species. 2. Ex fidei definitione notitiam tollunt, illamq; de essentia ejus esse negant. 3. Implicitam fidem, crassum illum & pecuinum stuporem commendant. 4. Subjectum fidei justificantis solam mentem esse dicunt. 5. Ejus objectum non solum Dei verbum; sed traditiones quoq; non scriptas, & præterea quodvis Ecclesiæ mandatum constituunt. 6. Fiduciam & certitudinem à fide planè alienam esse contendunt, & in locum ejus perpetuam dubitationem substituunt.

F I N I S.

99 A 6935

ULB Halle 3
005 360 463



TA 700







PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXVI.

De
IUSTIFICATIONE HOMINIS
CORAM DEO.

includat & Florentissimâ Academiâ Witteber-
gensi proposita

PRÆSIDE
M. IACOBO MARTIN
Professore publico:

Respondente
M. JOHANNE BRAKERMANNO
Dantiscano-Boruffo.

Ad diem 14. Septemb. Anno 1611.
Horis locog, consuetis

Sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis,
ANNO 1611.

